

Tv spartam adgrederis, nec iniudendam,
(Multum nempe dabit, die sequestrâ,
PRIMATI, quod habes PEDVM, MAGISTRO,
Suffenis rigidi, TIBI molesti)
Nec vero his humeris Tuis iniquam,
Per fortes varias in orbe pressis:
Quicquid consibilent hydrae loquaces,
Experto dabitur fides Ruperto.

Sed Tv, cujus amor mihi per ipsos
Arrisit penitus decem bis annos,
Antiquum hunc animum, precor, reserua;
Te contra fragili, dies ad omnes,
Quae vitae superant, decente ritu,
(Coniunctos vt amas,) amare pergam.
Nosti, quae ratio mei laboris,
Quis sudor fuerit domi, forisque,
Cum quondam ingrederer Scholae penates,
Antiquis vitiis domus medendis,
Post in corporei decore cultûs,
Mox in codicibus probe locandis,
Ornando in duplici Librorum Elencho,
Longa in congerie bonae monetae,
In tanto cumulo scabri metalli,
Atque umbris veterum per aeuâ claris,
Omni in materie loci remoti,
E Syluis et agris mihi legenda,
Et quae plura dedit benigna Mater;
Te cuncta haec memini, videre quondam,
Et lustrare oculis quiete plenum:
Tv, si per varias, grauesque curas,
Quae pressant humeros, TIBI licebit
Hanc mecum seriem, Tuo tenore,
Quem dudum edidici, crebro reuolues.